



MENALIPPE, Orithyæ ac Antiopes (hæ ambæ Amazonum reginæ erant) soror, ab Hercule bello superata, captiua abducitur: quam tandem sorori reginæ reddit: & pretium, arma eiusdem reginæ (Baltheum fuisse dicunt) accipit: atq; ita mandato functus, ad Regem Eurystheum Hercules ipse, reuertitur. Vide Iustinum. libr. 2.

HIPPOLYTE, soror Orithyæ, Antiopes, & Menalippes, eodem ipso bello quo soror Menalippe ab Hercule capta, ac abducta est, hæc quoque à Theseo capitur ac abducitur: Sed tamen eam in vxorem Theseus accipit, ex eaque gignit Hippolytum: uti iam à me dictum est supra, in Theseo. Iustin. libr. 2.

Nec verò nesciendum est, Hippolytum omnium castissimum fuisse, eundemque venationi deditissimum: de quo multa legere licet apud autores: maximè apud Ouidium lib. 15. Metamorpho. item Heroidum epist. 4.